De operatione diui amoris.

Oratio dñi joannis tritemij Abbatis ſpanhemenſ. ha-
bita erphordie in capl'o Annali. vj. kalendas Septem-
bris. Anno redemptionis noſtre. M.cccc.xcvij.

UPB

Oꝛatio dn̄i Joannis triteimij

Abbatis ſpanhemenſis: habita erphoꝛdie in capl'o an-
nali. vj. kalendas ſeptembris.

SI mihi ſine obedientie iniuria liceret (preſtan-
tiſſimi patres) hoc dicendi officiū ſubterfuge-
re: conarer me coꝛã vobis. et multis verbis. et
varijs modis excuſare: nec tã arduū loquēdi
munus inter doctos viros imperitus aſſumerem: ſi illud
ſine peccato declinare potuiſſem. Docere em̄ lõge doctio-
res nec poſſum nec debeo: dicere de interna cõuerſatio-
ne ſpūs apud deuotiſſimos hoīes. carnalis erubeſco. Cū
vero ſim homo ſub poteſtate cõſtitutus: mandatū veſtrū
cõpelloꝛ aſſumere: et nõ q̇d poſſim. ſed q̇d debeã potius
cogitare. Me loqui auctoꝛitas vr̄a ꝑcipit: ſed mea infir-
mitas mihi ſilenciū indicit. Uincat tamē opoꝛtet maioꝛū
auctoꝛitas: quatenus obedientis roboꝛetur infirmitas.
Cõfido em̄ et deo et ſanctis oꝛacõnibus vr̄is: qm̄ vires
quas mihi mea imperitia dicturo ſubtrahit: hūilis obe-
dientia miniſtrabit. Uos itaqꝫ patres mihi precibꝫ vr̄is
apud miſericoꝛdem deū ſuccurrite: eius clementiã ꝓ do-
nis gratie impetrandis humiliter poſtulate: cõuerſiqꝫ ex
moꝛe ad reuerendiſſimã pietatis archam. dei genitricem.
aue maria mecū dicate. ¶ Aue maria.

¶ Cum mihi hactenus amantiſſimi patres de moꝛum
inſtitucõe ad hūc cetū ſynodalē frequēs fuerit tractatus:
congruū tandē et nõ minus honeſtū qꝫ vtile viſum eſt. de
amoꝛe dei breuiter aliq̇d dicere: ad quē ſe omnis inſtitu-
tio regularis velut ad ſuū finem vltimū debet oꝛdinare.
Quicq̇d em̄ boni. quicq̇d ſancti. quicq̇d iuſti a nobis in
ſancta cõuerſatione agitur: totū ad amoꝛē diuinū. tanqꝫ
ad centrū ſuū quietiſſimū merito refert̄. Hoc inflãmati
deſiderio. mundū reliquimꝰ: hac ſpe monaſticã ſolitudi-
nem ingreſſi ſumus: quatenus liberi et abſoluti ab om̄i-
bus curis ſeculi: ſine impedimēto rerū tempoꝛaliū. cõtem-
placõni vacemus amoꝛis dei. O vos felices q̇ cõtemptis

rebus tranſitorijs oĩbus.oculos mentis vr̃e in hũc fi-
nem iugiter erigitis: qui vobiſmetipis vniti.omnẽ multi
tudinẽ. animũ ab illo ſummo vno rerũ omniũ principio
diſtrahentẽ fugitis: qui deo incõmutabili et penitus in-
effabili bono ꝑ internũ amorẽ dulciter adheretis. Nam
etſi nondũ ſuauitatẽ illã ſupne felicitatis ꝑfecte.in via cõ-
ſtituti poteſtis ſuſcipere: datur tamen vobis ꝑ incendiũ
amoris de illa quedã archana ꝛ ineffabilia mẽtaliter gu-
ſtare. Enimuero ſummũ illud incõmutabile bonũ.qđ deũ
appellamus.cũ ſit ſimplex et vnũ rerũ omniũ principiũ.
animi noſtri ſimplicitatẽ naturali bonitate diligit: mul-
titudinẽ ſibi oppoſitã refugit: vnũ vnitas requirit. Nam
quãto ſe anim⁹ ꝑ potentias ſuas in plura diuiſerit: tãto
longius ab vnitate ſui principij recedit: nec poteſt ſe per
affectũ ad vnitatis amorẽ ſuſtollere: niſi prius ſe apud ſe
in vnitate ſua nouerit ꝯtinere. Summũ nãqꝫ bonũ deus
eſt vnũ: cui animus noſter in ſemetipo diuiſus.adherere
ꝑ dulcedinẽ amoris nequaqꝫ ꝑmittit: niſi ſibimetipſi in
ſe et ſue potentie effectibus prius vniatur. Amor verus
et integer nõ poteſt eſſe diuiſus: neqꝫ affectio ipa voca-
bulũ amoris meretur accipere: que ſe amplius qꝫ vni ſi-
mul et ſemel nititur mancipare. Deus eñ aut ſolus dili
gitur: aut nõ ſolus.ꝑfecte nõ amatur. Si deũ veraciter
diligis: p̃ter ipm oĩa cõtemnis. Si aliqđ p̃ter ipm in
amoris domiciliũ admiſeris: integritatẽ diuini amoris
frangis. Quẽadmodũ eñ iuuencula viro deſponſata. ſi
aliũ quẽpiam amauerit.ſponſum ſuũ nõ veraciter amare
cõuincitur: ita et aĩa ſi quippiã p̃ter deũ ſuũ amare cepe
rit velut adultera condemnat᷑. Deniqꝫ ſicut viſus nr̃ duo
diſtantia a ſe inuicẽ obiecta ſimul et ſemel videndo non
clare poteſt diſcernere: ita nec oculus mentis creatorem
ſuũ et res creatas ab ipo diſtrahentes.ſimul poterit per
amoris intuitũ videre. Creator a creatura ſua rationali
ſolus vult diligi: cũ ſocio nõ poterit amari. Cum eñ ſe
ꝑcipit ex toto corde.tota virtute.et oĩbꝫ viribus diligi:
nullũ locũ amori cuiuſqꝫ alterius vult cõcedi. Nam dũ

ex toto corde poſuit: nihil penitus mancipandũ alteri re
liquit. Unde et p̲ ſapientẽ alibi dicit. Fili prebe mihi cor
tuũ. O bone deus: quid tibi et cordi meo? Quare cor
meũ a me poſtulas: qui nullũ ex me comodũ reportas?
Tu em̃ ſemp̲ es qđ eſſe potes: nec tibi amor meus ali-
quid poteſt adiũgere: nec auerſio mentis aliq̃d auferre.
Sed tamen perſtas. pulſas et dicis. Fili prebe mihi cor
tuũ: qm̃ vbi theſaurus tuus: ibi et cor tuũ erit. Ego the
ſaurus ſum anime: ego dilectio. ego amor: ego finis ego
principiũ. Fili da mihi cor tuũ: qm̃ om̃e deſideriũ quod
in me ſolo nõ figitur: mutabilitati et eternis miſerijs ob
noxiũ habetur. Da mihi cor tuũ: quatenus illud amor
meus totũ poſſideat: aliũ p̃ter me nullũ penitus admit
tat. Ecce ſto ad oſtiũ cordis tui et pulſo: quare mihi nõ
aperis? Sponſus ſum tuus o fidelis anima: qui te in
manu valida de tyrannica poteſtate eripui: mihiq3 pro
prio ſanguine in amicã copulaui. Ego flos campi et liliũ
cõuallium: qui ut te mihi ſponſam electã potuiſſem aſſu
mere: mortẽ volui ſubire. Tu em̃ p̲ tranſgreſſionẽ paren
tum tuoꝝ. polluta cũ adulteris portionẽ tuã poſuiſti: me
ducẽ pubertatis tue cõtempſiſti: impiũ virginitatis tue
corruptorẽ diabolum exactorẽ duriſſimũ habuiſti. Ego
vero miſertus tui. velut gygas ad currendũ viam. carne
p̃cinctus humana. in mediũ me contuli: bellũ contra ty-
rãnum pugnaturus aſſumpſi: ſanguinẽ ꝓ te meũ ſimul et
animã effudi: hoſtem moriens in crucis patibulo ſupe-
raui. Ego tuo nimio victus amore. vt longius aberran-
tem te ad patrie celeſtis amenitatẽ reducerem: carnẽ ex
virgine humanã indui: viſibilis et paſſibilis in terra ho
minibus apparui: multis laboribus ꝓ ſalute tua me ſub
didi: tenerũ corpus meũ duriſſime flagellandũ dedi: ſpi
nis coronari. cõſpui. alapis cedi. cõtumelijs et irriſionib3
volui affici: crucem meã in humeris meis ſemimortuus
portaui: manib3 et pedibus ad lignũ terribiliter affixus
ſteti. O quis anguſtiã innocentiſſimi cordis mei quã ꝓ
te ſuſtinui in illa hora poſſet eloqui: quãdo plen⁹ vulneri

bus medius inter duos latrones cruci affixus. tot inſul-
tátis populi voces horribiles audiui? Et licet dolor cor-
dis mei me ineſtimabiliter affligeret: oĩa tamen pro tuo
amore libenter ſuſtinui: quatenꝰ te de poteſtate antiqui
hoſtis eriperem: mihiqꝫ in ſponſam ꝑpetuo copularem.
Ecce chariſſima mea quali te ꝓcio redemi: q̄ pro te mo-
ri morte turpiſſima nõ dubitaui. Quid o dulcis amica
q̄d amatori tuo retribuis: q̄due rependis? Aurũ et ar-
gentũ nõ poſtulat: ꝓcioſos lapides nõ curat: fidẽ ⁊ cha-
ritatẽ a te ꝑ his om̄ibꝫ exigit: amoris tui domiciliũ con-
cupiſcit. Da igit̃ ſaluatori tuo cordis tui habitaculũ: qui
tibi in ſuo ſacratiſſimo ſanguine aperuit celũ. Aperi illi
caſtum mentis tue thalamũ: ut tibi conferat dulciſſimi
amoris ſui ſecretũ. Uacuus eñi dñs ieſus nuſquã ꝓgre-
ditur: quẽ ineffabilia gratie ſue dona comitant̃. Et quã-
uis multa et varia ſint que ſecũ affert ieſus rex celi mu-
nuſcula: om̄ia tamen ſunt valde ꝓcioſa: ex quibꝫ vnũ eſt
ꝓcioſiſſimũ: ſolo hũano corde ab eo cõparandũ. Quid
eſt illud? Ipe idem eſt: q̄ in ſancto euãgelio dixit. Ignẽ
veni mittere in terrã: et q̄d volo niſi ut ardeat? Maxi-
mũ et precipuũ donũ ieſu eſt amor: qui quidẽ ſanctis et
fugientibꝫ ſeculi vanitates infundit̃: peccatoribus ⁊ car-
naliter ſapientibus denegat̃. Hoc ſecretiſſimũ donũ diui-
ni amoris nemo intelligit: q̄ illud prius in occulto non
accepit. Eniuero ieſus ſpecioſus forma pre filijs homi-
num. ſemꝑ preſto eſt ſe amantibus: occurrit ſuã paſſionẽ
intente meditantibus: ſimplices ⁊ rectos animo diligit:
curioſos mundi amatores in amoris ſui dulcedinẽ non
admittit. Felices ergo illos merito dixerim. q̄ cõtemptis
mũdi negocijs et curis. latere in cenobijs apud ſe in trã-
quillitate puri et ſimplicis animi deſiderant: qui ꝓter ſo-
lum deũ nihil in hoc mũdo penitus amant: qui vanos
honores et fallacem mũdi proſperitatẽ deſpiciũt: q̄ radi-
cati in diuino amore nulla huius temporis aduerſa ꝑti-
meſcũt. Dei etenim amor nihil preter ipm deum in hac
vita diligit: nihil ꝑtimeſcit. Amãti deus ad om̄ia ſuffi-

cit: extra ipm nihil animus requirit. Anima que domi-
num iesum sup omnia veraciter diligit: libenter apud ſe
metipam in ſecreto ſolitaria conſiſtit. Interne dulcedi-
nis amator cum ſuo amantiſſimo domino in ſecreto ver
ba ardentis amoris loquitur: ſolus cū ſolo manere de-
lectatur. Sedet in ſecreto ſolitarius non ocioſus: quo-
niam amor qui ad ſe omnes vires animi colligit: ocio-
ſum eſſe amantem nullatenus permittit. Ueraciter enim
dixit maior inter magnos ille dei amator gregorius.
Amor dei nunquā eſt ocioſus. Operatur enim magna:
et deum nō amantibus prorſus incredibilia. Et qd ope
ratur in homine mortali: amor immortalis? Magna
inquā. et carnalibus nō pferenda hominibus. amor dei
cordi humano operatur infuſus: quā operationē nullus
pcipit non expertus. Heu mihi. quoniā ſi ſolis exptis in
amore dei loqui de hac operacōne competit: mea mihi
tepiditas ſilenciū imponit. Sed quia ſemel cepi. loquar
de amoris operacōne nō que in memetipo exptus didi-
ci: ſed potius que ab expertis z deuotis hoībus accepi.
Uerūtamen ſecretiora queqz diuini amoris nō ſunt pfe-
renda in publicū: cū ea ſolus ille poſſit intelligere: quē
amoris illuſtratio ipa longo fecit exercicio peritū. Inco-
gnita ergo mihi myſtica ſpectacula debito honorās ſilen
cio. nota paſſim oībus pſequar: ut q penitiora illa non
poſſū aſſequi: ſaltē manifeſtiora ſtudeā p viribz imitari.
¶ Et primo quidē dei amor cū fuerit in hoīe cōtritionē
operat mirabilē: et penitentiā p pccīs mirabiliter effica-
cem. Dicit eīn amator ieſu petrus archiaplſ. Charitas
operit multitudinē peccatoꝝ. Amor dei eſt ignis conſu-
mēs. quē ieſus amātiſſimus aīaꝝ ſponſus miſit in terrā:
ſcō pteſtante aplo. Charitas dei diffuſa eſt in cordibus
nrīs: p ſpiritū ſanctū qui datus eſt nobis. Quēadmodū
ignis iſte materialis humiditatē ſibi cōſumit oppoſitā ſi
copioſior incendio fuerit: ſic amor dei quāto in corde ho
minis amplius creuerit: tanto citius peccati paleā cōſu
mit. Amor peccatoꝝ certa remiſſio eſt: qm̄ ſicut auerſio

animi a deo peccatū mortiferū efficit: ita cōuerſio men-
tis ad deū veniam cōcedit. Nam quid aliud facit in ho-
mine remiſſio ſceleris: niſi quod animū reformat ad in-
cendium amoris? Quotienſcūq; enī penitēti ꝑ dei miſe-
ricordiā culpa remittitur: violatus amor inter deum et
animā reformatur. Cū ergo diuinus amor homini con
ceditur: ſine dubio peccata remittūtur. Amor ſiquidem
dei et peccatū ſibi penitus ſunt oppoſita: qm̄ ſicut nihil
et aliquid ſimul eſſe nequeūt: ſic peccatū et amor in vno
corde ſimul eſſe minime poſſunt. Si enī peccatū affue-
rit: confeſtim amor recedit. Peccatū nāq; diuini amo-
ris priuatio eſt. Qd̄ ſi amor ipe dei in anima hoīs ſtabi
lis ꝑmanſerit: peccatū non admittit. Quotidiana vero
illa et venialia que etiā amantibus deum moleſta ſunt:
delicta potius q̄ peccata dixerim eſtimanda. Amor enī
dei et mortale peccatū ſimul ſtare nequeūt: quoniā ſicut
ignis lignū et paleas deuorat: ſic amor dei omne pecca
tū ſibi cōtrariū de corde amantis exterminat. Sed hui⁹
rei exemplū de ſacro euangelio proferamus. Acceſſit ad
ieſum mulier peccatrix quondam auerſa: ſed accedendo
mirabiliter amatrix facta: acceſſit. fleuit. pedes dilecti la
chrymis lauit: terſit capillis. oſculabatur magnis eſtuan
do ſuſpirijs. Dic mihi o ſancta peccatrix. vnde tibi in-
ceſſit iſta mutatio: vt omnē tam ſubito feminee honeſta
tis verecundiā deponeres? Non vocata accedis: cōui-
uantibus maioribus natu peccatricē deſpectam te inge-
ris: lachrymas inter epulas fundis: pedes viri ſanctiſſi
mi nō iuſſa manibus cōtingis et oſculis. Ubi eſt verecū
dia muliebris: vbi conſideratio ꝓprie honeſtatis? Sed
amor verecundiā neſcit: reuerentiā nō attendit: qm̄ ſicut
magnes ferrū attrahit: ita me amor ieſu ad ſuos pedes
ſanctiſſimos vocauit. Ignis enī diuini amoris qui meo
pectori mirabiliter intus donatus fuerat: me omī vere-
cūdia cōtempta exterius trahebat. Cōſideraui que offen
derā: et ideo de hūana cōfuſione nō curabā. Quis o pa
tres hui⁹ ſancte mulieris amorē verbis poſſet exprimere:

aut quãto intus arſerit deſiderio cõpũctionis cogitare?
Tãto eñ diuini amoꝛis incẽdio flagrabat interius: ut
nec reuerentiã hoſpitũ expaueſceret: nec temeritatẽ pha
riſei cõtemnẽtis foꝛmidaret. O vis diuini amoꝛis foꝛtiſſi
ma: quã facile mentẽ a terrenis eleuas: quã tuo incen-
dio dulciter inflãmas. Ubi tu pectus hoĩs incendis. mo
ra ad purgationẽ affectus nõ requirit: te docente ſubito
intellectus ſine alterius magiſterio illuſtrat. Tu peccato
res mox ut ceperis iuſtificas: tepidas mentes ſubito in
admirabilẽ deuotionẽ excitas: tuiſqꝫ poſſeſſoꝛibꝫ ineffa
bilia interne dulcedinis dona pſtas. Tu pectus huius
mulieris mirabili tãgens incendio. peccatricẽ in amatri-
cem cõmutaſti: et manſionẽ quã tibi ſemel in ea paraue
ras: ſine fine ſp inhabitas. Et qd dixit de illa ieſus qui
p te iuſtificat impios? Remittũtur ei inqt peccata mul-
ta: qm dilexit multũ. Ergo cui multũ dimittitur. multũ
debet diligere: et q multũ diligit. multã poteſt a dño ve-
niam obtinere. Amoꝛ eñ dei: cõſummatio eſt penitẽtie.
Siquidẽ cõuerſus ad mulierẽ ieſus: dixit ei. Remittunt
tibi peccata: fides tua te ſaluã fecit: vade in pace. Nulla
hic penitentie ſatiſfactio iniungit: qꝛ verus dei amoꝛ ad
omnẽ ſatiſfactionẽ ſufficit: quippe q amãdo abundãtius
ſatis facit. Mens eñ diuino amoꝛe ſuccenſa: nõ poteſt
de peccatis pteritis nimis eſſe anxia: qm ſollicitudo pe
nitentie que inchoantibꝫ parat remediũ: pfecte amãtibꝫ
faceret impedimentũ. Dolet ſe quidẽ amatrix dei cõſcien
tia offendiſſe amantẽ: ſed iã p cõmiſſis penã aut vindi-
ctam nõ metuit: qꝛ ſe totã ad voluntatẽ ſuo amatoꝛi de-
dit. Nõ ergo poterit eſſe anxia: ſi cũ dilecto p amoꝛẽ ve
raciter fuerit cõcoꝛdata. Uerũtamen in ſecreto cõtempla
cõnis thalamo penitentie officiũ amãti cõgruens nõ ne
gligit: lachrymas p peccatis ex amoꝛe fundit: pſtrata
in terrã dilectũ alloquit: ineffabili modo veniã precatur.
O quot lachrymas. quot gemitus. quot ſuſpiria. mens
diuino amoꝛe ſuccenſa in occulto cõſueuit pducere: cũ ſe
totiẽs amantiſſimũ ieſum peccãdo meminerit offendiſſe.

Iacet ad pedes ſui amatoris p amorē illuminata: flens
largiter orat deteſtādo cōmiſſa. O inq̄t dulciſſime ama-
tor hoīm cur me tā diu a te p abrupta viciorꝫ errantē to-
leraſti: quare me nō citius reuocare voluiſti? Cūq; deſi-
deriū amoris in affectū excreuerit: animus in ſuo ama-
tore cōquieſcit: vbi cū dulciter ſoporatus fuerit: cōditio-
nes trāſacte miſerie. p illuſtrationē ſupſplendentis lumīs
cognoſcit. Nec erit amplius difficile cōſcientie trāquilli-
tatē acquirere: vbi animus p̄ter deū nihil in hoc mūdo
cōſenſerit amare. Oratio eñ que deo in ſimplici puritate
amoris porrigit̄: ad indulgentiā pccōꝝ impetrandā effi-
caciſſima ꝓbatur. Nā vbi deus ex toto corde in veritate
diligitur: nullū peccatū ad mortem amanti imputatur.
¶ Scḋo amor dei oēs paſſiones beſtiales in hoīe mor-
tificat: carnē ſpiritui ſubijcit: et motus carnalis cōcupi-
ſcētie reſtringit. Queādmodū ignis carniū hūores extra-
hēs. eas coquit ⁊ exſiccat: ita diuinus amor oēs affectio-
nes carnales ſpiritui ſubdēs coquit atq; mortificat. Nā
veri amoris dulcor omnē ſaporē dulcedinis corporalis
incōparabiliter exſuperat: motus affectionū illicitos ſe-
dat: cōcordiā inter corpus ⁊ ſpiritū reformat. Eniuero
qui deū veraciter amat: deſideria carnis nō pficit: cōcu-
piſcentiā inordinatā odit: ſuo amatori ſoli deo ſp purus
et quietus aſſiſtit. Ea eñ diuini amoris ꝓprietas eſt: ut
cor qḋ ſemel veraciter ſuo igne inuiſibili accenderit: non
amplius pmittat deſiderijs carnalibꝫ implicari. Agit tñ
amor ipe p vices. quatenꝰ aīa diſcat ſuā infirmitatē co-
gnoſcere: et nō in ſua virtute. ſed in dei miſericordia fidu-
ciam habere. Nā et ſanctus apl's diuini amoris pruden-
tiſſimus hoſpes. aliā legem repugnantē amori in mēbris
ſuis repperit: a qua abſolui cōcupiſcit. Unde et dicit. In-
felix ego hō: q̄s me liberabit de corpore mortis huius.
De ſua igit̄ deſperās virtute ad gratiā dei cōuertit̄: et li-
berari ſe poſſe p dn̄m ieſum gloriat̄. Igitur inq̄t egoipe
mēte ſeruio legi dei: carne aūt legi peccati. Quid eſt hoc
apoſtole ſancte? Tu ne ſeruis adbuc legi peccati: q̄ cō-

moraris in ſecreto amoris dei? Scio inquit quia nō habitat in me hoc eſt in carne mea bonū: nam velle adiacet mihi: pficere autē bonū nō inuenio. Et hoc ipm dñs nr̄ ieſus chriſtus in euāgelio verū cōprobat dicēs. Spiritus quidē promptus eſt: caro autē infirma. Spiritus amori ſui cōditoris iugiter inherere deſiderat: ſed carnis infirmitas reclamat. Sed audiamus q̄d nobis ſanctus apl'us cōſequenter p̄cipiat: qui ſub lege carnis liber ſpiritu gemebat. Ergo inquit fratres debitores ſumus nō carni. ut ſecundū carnē viuamus: ſi em̄ ſecundū carnem vixeritis moriemini. Si autē ſpū facta carnis mortificaueritis: viuetis. Et de ſemetipo in alio loco dicit. Caſtigo corpus meū et in ſeruitutē redigo: ne forte cum alijs p̄dicauerim: ipe reprobus efficiar. Hec eſt diuini amoris admiranda operatio: q̄m et ſpiritui carnē ſubijcit: et legē carnis nō infringit. Nam ſi amor legē ſibi contrariā penitus tolleret: nō hoī expediret. Oportet em̄ carni motus ineſſe cōtrarios amori ſpūs: quaten⁹ et victoria meritū: et virtus habeat exerciciū. Et ideo amor ſanctorū mentibꝫ ad horā plerūqꝫ ſubtrahit: ut exerciciū pbetur. Cōſumit autē amor dei ſubito amorē ſeculi: et cor q̄d myſtico incendio arſerit: nihil carnalis amoris cōcupiſcit. Subito mutat deſideriū: et in alias opacōnes dirigit affectū. Quid dicā de te o ſanctū et ineffabile penitus incendiū? Tu ſubito ex piſcatoribꝫ feciſti apl'os: tu imperitos in viros ſublimaſti doctiſſimos: tu hoſpites tuoſ docuiſti mūdi diuicias ꝛ honores ꝯtemnere: et nulla tormēta malignātiū formidare. O vis ſcā diuini amoris: q̄ꝫ cito carnalis cōcupiſcētie impetus extinguit: ſi mēs tuo incendio cōcremat. Tu pſecutore fidē ieſu chriſti ſubito feciſti defendere: quā ſine te prius terribiliter ſolebat impugnare. Mox em̄ ut te operātē ītus ſentire potuit: carni ꝛ ſanguini nō ampli⁹ acqeuit: nec curauit amicos quōdam dilectos reuiſere: poſtq̄ꝫ dulcedinis tue nucleū meruit deguſtare. Tāta eū interni amoris ſuauitate inebriaſti. ut ſemetipm deinceps p̄ magnitudine dulcoris vix

caperet: inimicos crucis chriſti libera voce confunderet:
nulla huius mũdi ſubire aduerſa ꝓ amore ieſu amplius
formidaret. O quot animas ſubito rapuiſti de periculo
huius ſeculi: quot peccatores ſine impedimento intro-
duxiſti ad gaudia paradyſi. Tu ſanctos dei angelos in
adherẽdo ſuo principio feciſti ſtabiles: tu ab origine mũ-
di conſignaſti innocentes: tu elegiſti patriarchas: tu or-
dinaſti ꝓphetas. Deniqꝫ tu ſanctos dei diſcipulos mun-
dum feciſti cõtemnere: tu mirabiliter confortaſti marty-
res: purificaſti cõfeſſores: virginibꝫ ſanctis viuendi nor-
mã pſcripſiſti. Et quid multis vtar verbis? Nemo ſine te
vnqꝫ deo placuit: nemo tuo roboratus auxilio. ſummo
et incõmutabili bono vnqꝫ diſplicuit. Per te fides conci-
pit meritũ: ꝑ te religio ſuſcipit incrementũ: ꝑ te rubigo
peccati cõſumitur: ꝑ te ſolã omnis electus ſanctificatur.
Sicut magnus ignis pauculas immiſſas ſibi conſumit
aquas: ſic vis ingens diuini amoris. carnales reſtringit
in homine paſſiones. Quiſquis em̄ dei amorem in cor-
de ſuo veraciter conceperit: tantis deſiderijs: tantiſqꝫ ad
deum affectibus eſtuabit: ut durante amoris exercicio.
nullas carnis affectiones inordinatas ſentiat: nihil pter
deũ cõcupiſcat. Et mirabilis plane affectionũ mutatio:
quoniã qui prius paſſiones carnis ſue vix ꝑ multos la-
bores domare potuit: nũc diuino amore ſuccenſus eas
in ſilencio contemplationis ſuperauit. Sed hoc experiri
non om̃ibus cõceditur: quia paucis reſeruatur. Multi
em̄ ſuas ſenſibus inditas cõceptiones diuinũ putãt eſſe
amorẽ: et quãto ſe altius ꝑ imaginationẽ erigũt: tanto
plerũqꝫ grauius cadũt. Dicit nãqꝫ ſcriptura. Beſtia que
tetigerit montẽ: lapidibus obruatur. Si montẽ ſanctũ
diuini amoris ſine periculo cupis aſcendere: oportebit te
affectiones beſtiales enecare: quia animus cũ ipo vnico
rerum principio tunc vnũ ꝑ amorem efficitur: quando
exutus omnẽ affectionis multitudinem. ſolus eleuatur:
atqꝫ ſuper omnem imaginationem. rationem. et intelli-
gentiam ſubleuatus. ab omnibus que dici aut cogitar-

poſſunt ſe nudatū cōſpicit: liber ꝑ affectū ad amoris do
miciliū aſcendit. Nec oportet verū amatorē falſi amoris
cōditiones hoc loco inſtruere: cū verus dei amor tot ſe-
cum certiſſima indicia ſui afferat: ut dubitare ſe haben
tem non ꝑmittat. Et licet homo neſciat vtrū amore vel
odio dignus ſit: dico tamē cōfidenter. quoniā cui deus
omnipotens interni amoris ſui dulcedinem dignatur in-
fundere: poterit multa nobis incognita ſcire.

¶ Tercio amor dei habentē ſe facit om̄ia cōtemnere: et
nihil in hoc mūdo penitus amare. Ad honores et digni
tates nō afficitur: nullis diuicijs aut gaudijs mūdi de-
lectatur: dn̄m ieſum ſemꝑ cogitat: venire ad eius dul-
ciſſimos amplexus quantocius anhelat. Amarū ſibi eſt
quicq̄d delectabile in mūdo cernitur: in nullo alio q̄z in
ſuo amatore delectatur. Collectus em̄ et ſibimetipſi vni-
tus animus et ſe et om̄ia deſpicit: quatenus ſine impedi
mento multitudinis ſe ad vnū illud ineffabile principiū ꝑ
amorē extendere poſſit. O dulcedo mirāda diuini amo-
ris q̄z potens eſt tuū incendiū: q̄z ſuaue vinculū: q̄z felix
experimentū. Qui te habet om̄ia habet: qui te nō habet
nihil habet. Sed nemo te o dulcis amor poteſt acqui-
rere: q̄ p̄ter te aliquid in hoc mūdo voluerit amare. Tu
em̄ cor humanū aut ſolus inhabitas: aut nō ſolus. in-
gredi recuſas. Idcirco quiſq̄s cōſorciū tui habere in ſe-
metip̄o deſiderat: oportet vt p̄ter te om̄ia cōtemnat: qm̄
quāto p̄ter te aliq̄d amare voluerit: tāto a ſe tuū amorē
dulciſſimū repellit. Anima non poteſt eſſe ſine amore:
aut em̄ deū amat et vere beata eſt: aut trāſitorijs rebus
innititur et ſemꝑ miſera eſt. Simul autē diligere deū et
mundū nemo poteſt: qm̄ ſi alterū diligit: alterū neceſſa
rio cōtemnit. Sed multū eſt inter amorē dei: et deſide-
riū p̄ſentis ſeculi. Amor em̄ dei facit hominē ſemꝑ in cō
ſcientia purū: in corde letū: in cōuerſatione honeſtū: in
actione precipuū: in mente tranquillū. Nihil cōcupiſcit:
ſua ſibi conditio ſufficit: ſine ambicōne cōquieſcit. Amor
autē mūdi poſſeſſorē ſuū in cōſcientia multis ſceleribus

polluit: anxium ſemper et triſtem facit: in cōuerſatiōne reddit turbidū: in actione pigrū: in mente turbulentum. Finis diuini amoris eſt ſempiterna felicitas: finis autē mundane dilectionis eſt ſine fine manſura calamitas.

Amor dei ſemꝑ gaudiū habet: amor mūdi infinitis eſt plenus miſerijs. Amor dei vanos mūdi honores nō diligit: preeſſe alijs nō cōcupiſcit: ſubeſſe potius alijs ꝓpter deū deſiderat: dimittere honores etiā habitos nō recuſat. Quicūqꝫ enī dei amorē veraciter concipit: omnia et proſpera et aduerſa equaliter cōtemnit. In honore aliquo es cōſtitutus o homo: abbas es. ꝑpoſitus es. prior monachorū es. Si te interrogauero vtrū ex toto corde diligas deū: q̄d reſpōdebis? Quicq̄d mihi foris reſponderis: ad cōſcientiā tuā intus prouocabo. Si veraciter amas deū: dic mihi qua intencōne ſis paſtor monachorum? Dices vtiqꝫ ni fallor ꝓ honore dei quē diligo: pondus regiminis monachoꝝ porto. Aut ergo deū amas o abba: aut eū nō amas. Si amas deū veraciter paratus eris om̄i tpe pro eius amore ad conſiliū bonoꝝ virorū officio regiminis cedere: et alteri equanimiter ſubeſſe. Si vero deū tuū veraciter nō amas: indigne locū regiminis occupas. Uerus enī dei amator cōſcientiā ſuā om̄i tpe ſic ordinat: ut ab eius amore ꝑ affectū alterius vel rei vel officij nō recedat. Unde rector animarū q̄ dn̄m ſuū ex toto corde diligit: om̄i tpe reſignatus illi in ſuis orationibus dicit. Dn̄e ieſu qui nihil ignoras. tu ſcis ꝙ nulli ꝑeſſe deſidero: tu noſti qm̄ ſubeſſe alteri nō recuſo. Nam etſi nō ſum ad vices tuas gerendas idoneus: cupio tamen tue ſanctiſſime voluntati ſemꝑ eſſe ſubiectus: ſumqꝫ paratus amore tui et oues tuas ꝓ viribus paſcere: et officiū paſtoralis cure tanqꝫ inſufficiens humiliter reſignare. Me volūtati tue ſubijcio: me ſeruoꝝ tuorum iudicio cōmitto. Si me iuſſerint illi abbaciam deſerere: ꝓpter tuū amorē volo ſine fictione obedire. Si vero ꝑceperint mihi oues tuas cōmiſſas diutius paſcere: volo ꝓ ſolo honore tui ſāctiſſimi noīs imperiū ſubire. Nūc itaqꝫ

o paſtor monachorum temetipſum diligenter cōſidera: et vi
de ſi mens tua ſit omnipotenti deo tali modo in omnibus
reſignata. Si eam ſic diſpoſitam inueneris: vicinus es
incendio dulciſſimi amoris. Et ſi voluntas tua in officio
fuerit delectata regiminis: plus in te eſſe amoris proprij quam
diuini manifeſtiſſime oſtendis. Amor enim dei nihil in
hoc mundo preter deū diligit: nihil concupiſcit: ſed omnes
honores deſpicit: diuicias ſpernit: ſimul oīa cōtemnit.
¶ Quarto dei amor mirandā in ſuo hoſpite cōpunctio
nem et deuotionē generat: quoniam cor quod ſuo dulciſſimo ar
dore ſuccenderit: quaſi extra hominē rapit. Amor enim
ipſe diuinus naturā ignis quodā modo imitari dicitur:
quia ſicut ille flāmas incendij ſemper ſurſum naturaliter diri
git: ita et iſte ſemper ad celeſtia cōſcendit. Quis ſit interior
ſtatus hoīs deū amātis. que cōpunctio. quāta deuotio.
quot dulciſſima ſuſpiria cordis. nemo poteſt intelligere:
niſi qui ſuauitatē ipſam interni amoris per experientiā me
ruit deguſtare. Amor a terrenis mentē eleuat: celeſtia re
ferat: ſecreta manifeſtat. O ſancti amoris incendium: quam
dulcis eſt pſentia tue beatiſſime operacōnis: quoniam mentē
quā ſemel inuaſeris: ocioſā nō dimittis. Semper in amore
dulciſſimi ſaluatoris eſtuat: ſemper ad regē glorie ſuauiter
clamat: deſideriū in amplexus ſponſi myſticos dirigit:
pre magnitudine amoris lachrymas fundit. Quotiens
dn̄m ſuū crucifixū cogitat: pro nimio cōpaſſionis affectu
amariſſime plorat. Per oīa loca paſſionis illū comitata
plorās circuit: fluentem de corpore eius ſanguinē in ſpi
ritu bibit: pendentē in cruce ieſum amplectitur: vulnera
morientis cū lachrymis oſculatur. Hec ſunt o fidelis aīa.
prima diuini amoris preludia: hec ſtudij ſpūalis pclara
exercicia: ut paſſionē amatoris tui ſepe ad memoriā re
uoces: ut te illi gratias agens hūiliter inclines. Triſtem
animā ieſu. vſque ad mortē aſpice: patienti amatori tuo ex
affectu cōpatere: gratias vulneribus amariſſimis age. His
ſanctis exercicijs amor diuinus acquiritur: his ſtudijs
deuotio generatur: quoniam quiſquis animā ſuā in paſſione

dulciſſimi ieſu ſapienter exercere didicit: ad diuini amo-
ris domiciliũ et cito et facile aſcendit. Hoc ſanctus dei
amator ignacius optime nouerat: qui ex compũctionis
vehementia dicebat. Amor meus crucifixus eſt. O bone
ieſu ꝙ̄ dulcis eſt amor tuus: qm̄ ſuauiter animam pene
trat: te videns in ſpiritu amplecti animus exoptat: ad te
venire quãtocius ſi iuſſeris feſtinat. Eniuero patres qui
ieſum amat ſui ipſius obliuiſcitur: nihil aliud ꝙ̄ dulciſſi-
mã illius p̄ſentiam meditaꝛ. Nihil eſt in mũdo qđ ieſum
amãti p̄ter ieſum placeat: nihil vſꝗ reperiꝛ qđ animus
cõcupiſcat. O quot ſuſpirijs amore vulnerata mens an-
gitur: ꝙ̄ vberrimis lachrymis in ſecreto facies irrigatur:
quia quotiẽs faciem ieſu in celo p̄ſidentis cogitat: totiẽs
ſe in terris deſolatã plorat. Sepe interea temptat mens
amore languida. de ſuo amantiſſimo ieſu aliq̃d corã ho-
minibus dicere: in eius amorẽ conatur etiã alios ꝓuo-
care: ſed mox ut nomen ieſu dulciſſimũ ꝓferre ceperit: p̄
magnitudine amoris obmuteſcit. Amor em̄ ieſu nullis
verbis exprimiꝛ: nullis lr̄is explicatur. In ſecreto de ſin-
gulis animã inſtruit: efficaciſſimũ orandi modũ tradit:
intellectũ amantis ad petendũ illuminat: nihil ꝑ amorẽ
oranti negat. In ſecreto diuini amoris deuotio mentis
in deũ exuberat: cordis intima compũctio regnat: fons
dulciũ lachrymarũ ſine leſione capitis ortũ amãtis cir-
cumfluit: murus ꝑſeuerantie amoris thalamũ cuſtodit.
Uerus amator ieſu. ſꝑ in ſua meditacõne fructuoſe com
pungiꝛ: compũctus pre amoris dulcedine lachrymatur:
corpore inter hoĩes viuere cernitur: mente in celeſtibus
cõmoratur. Amantis deũ oratio celos penetrat: quicq̃d
petierit a ieſu facile impetrat: ſe totã in ſinum dulciſſimi
amatoris laxat. Nõ eſt ſine ardente compũctione in cor-
de hoĩs verus amor diuinus. O ꝙ̄ dulces. ꝙ̄ ſuaues. ꝙ̄
diuinos. in pſalmodia. et ceteris orationum lectionibus
mens ardens in diuino amore ſenſus cõcipit: ꝙ̄ ꝓfun-
das et myſticas ſcripturarũ ſententias cognoſcit: quas
dum verbis exprimere nititur: magnitudine ſuperatur.

Quid agat verus et internus dei amator circa diuinum penitus sacrificiũ corporis et sanguinis ieſu chriſti. q̃ ſit deuotus. q̃ compunctus. q̃ in amore liquefactus: neq ipſe alicui poteſt dicere: neq ſi dixerit inexptus tolerare. Nam diuini amoris dulcedo liquefacit animã: et ſepe a ſenſibus carnis reddit eleuatam. ¶ Quinto diuinus amor ſe habẽtis intellectũ mirabili magiſterio illumiat: quia dũ affectus p amorẽ ab om̃i inquinamẽto purgatus fuerit: ſe lumen diuine illuſtracõnis animo mirabiliter infundit. Amor em̃ dei mentẽ a vicijs ⁊ concupiſcentijs carnalibus purificat: ſpiritui ſancto manſionẽ in corde amãtis parat: animã in his que ad cognitionẽ ſumme veritatis ptinent illuminat: ſcientiã cõfirmat. Amor ieſu plenitudo ſcientie eſt: qm̃ p ipm amantibus ſapientia infunditur: que nõ amãtibus negaẽ. Quantumcũq diſcendo profeceris. ſi deum nõ diligis: nihil intelligis. Vana em̃ et penitus infructuoſa ſcientia eſt. que ad ſuũ finem debitum nõ dirigitur: in quo ſolo deſiderij ſacietas habeẽ. Nec putes amorẽ de quo loquimur eſſe vulgarem: qm̃ multi ſunt qui ſe deũ exiſtimãt veraciter diligere: cũ tamen conſtet paucos ad veri amoris dulcedinem puenire. Verus em̃ dei amor nihil cõmune recipit: nullũ cuiuſq alterius p̃ter in ſe amoris conſortiũ admittit. Vulgarem vero amorẽ dixerim illũ cui⁹ vocabulum vulgares paſſim intelligũt: in quo ſuis gradibus cõtenti viuũt. Unus eſt deus: vno quidem amoris incendio a ſuis amatoribus diligitur: ſed nõ equaliter ab om̃ibz amatur. Qui plus acceperit plus diligit: qui plus diligit plus accipit. Illuminatur ergo aĩa iuxta menſuram amoris: qm̃ quãto plus ad deũ per affectũ inflãmatum acceſſerit: tanto illud lumen ſup intellectũ ſplendidũ melius cognoſcit. Intellectus em̃ ipe primũ illuſtratus iuxta gradũ ſue capacitatis. ad amandũ illud ſummũ ineffabile bonũ ampliuſq amandũ. affectũ mirabiliter prouocat: ſeq comitem deſiderio parat: ſed cum affectus ad inueſtigandũ illud ſup omnẽ poſitionem exiſtens rerum

principiū excitatus fuerit: iam deinceps conſortiū intel-
lectus nō admittit: quia dū ipē om̄i et poſicōne et priua
tione abiecta. nudus caliginē diuini ſilentij ingreditur:
iſte racōne. imaginacōne. intelligentiaqꝫ oneratus. ſubſe-
qui ꝓhibetur. Cūqꝫ affectus ipē iam ꝑ amorē ad ſecre-
tum illud diuine cōtemplationis inſenſibiliter et ſine in-
tellectu ſolus et nudus atqꝫ ſeipm̄ neſciens admiſſus fue
rit: ibi dulciter cōquieſcit. Ubi putas interea manet in-
tellectus? Sine actu in inferioribꝫ habitat: prius doctor
iā diſcipulus expectat: que circa affectū agūtur nō intel
ligit: qm̄ et ſe et illū inſenſibiliter amiſit. In hoc ſecretiſſi
mo mentis ſilentio. anima ꝑ amorē ſuꝑ omnē rationē. et
imaginationē. et intelligentiā. radium diuine illuſtratio-
nis ſuſcipit: quē nec ipē intellect⁹ intelligit: nec affectus
cōprehendit. Felix ergo qui verū dei amorē ab ipō amo
ris largitore ſuſcipere meruit: q̄ ſedere ſolitarius. ſeqꝫ ele-
uare ſuꝑ ſe didicit: qm̄ ſi in exercicio diuini amoris pru-
denter ꝑſeuerauerit: illuſtratus in aīa mirabiliter et in-
effabiliter gaudebit. Non ꝓmittimus ꝑ amorē vanā ſci-
entiam ſeculi: ſed eam que ꝑtinet ad ſapidam cognitionē
dei. Sepe tamen legimus etiā huius mūdi ſcientiā. dei
amatoribus infuſam diuinitus: quatenus dum et iſta et
illa cōceditur: ſecularis prudentia ꝑ diuinā cōfundatur.
Uerūtamen manus dn̄i nō eſt abbreuiata: ſed quicq̄d
amanti ad ſalutē neceſſariū ⁊ vtile fuerit: diuina bonitas
poſtulanti non negabit. Unctio enim dei. bona docebit
amantem. ¶ Sexto diuinus amor. mentem ad celeſtia
eleuat: queādmodū in ſacro euāgelio dn̄s clamat. Qui
mihi miniſtrat: me ſequatur. Et iterū dicit. Uolo pater
vt vbi ſum ego: illic ſint et miniſtri mei. Miniſter ieſu
optimus eſt. qui eū ſuꝑ omnia diligit: qui in eius domi
cilio ꝑ amorē iugiter quieſcit. Tribus autē modis men-
tem amor eleuat: et in exceſſum quendā vocat. Quotiēs
enim cūqꝫ in magnā deuotionē deſideriū rapitur: ſupra
ſemetipſam mens inflāmata eleuatur: in qua eleuatione
ſantis plerūqꝫ radijs intimi amoris accenditur: ut penitꝰ

tus liquefacta inſtar cere a ſtatu ſuo priſtino reſoluatur. Amor namq̃ diuinus mentē a ſemetipā facit excedere: et in ſecretum ineſtimabilis contemplationis euolare. Secundo p admirationē mens extra ſemetipam ducitur: et in ſupremū illum diuine caliginis verticem eleuatur. Amor enim deſiderium fruendi excitat: affectus ut fruatur p amorē pulſat: ſubito ſe amanti lumen celicum ingerit: et mentem pre magnitudine ſue pulchritudinis in admirationē vertit. Quēadmodum enim fulgur intuentium oculos ſua choruſcatione reuerberat: ſic lux illa ſuper omnē intellectū diuina. mentem cui illabitur ſubito in ſtuporem et admirabilem exceſſum mutat: que quanto per conſiderationē ſue vilitatis in profundū deijcitur: tanto celerius p lucis ineffabilis deſiderium ſuper ſemetipam rapta eleuatur. Tercio mens in exceſſum p magnitudinem dulcedinis rapitur: quando nimia ſuauitate diuini amoris inebriatur. His modis amor dei mentem a terrenis ad celeſtia conſueuit erigere: ſi eam inuenerit p deſiderium. pure. feruenter. et dulciter ardere. Ardens amator ieſu chriſti. ſine intermiſſione mentem ſuā ad eū quem diligit eleuat: varijs modis affectiones ſuas in eū reformat: quicquid agit. quicquid facit ſemp ieſum reſidentem in throno nō manufacto cogitat: eius in ſuo pectore memoriam iugiter portat. Nunc eum in humana ſubſtantia mirabiliter glorificatū mentis intuitu conſpicit: ad eius ſe pedes in ſpiritu humiliter proſternit: preces cū lachrymis porrigit: in ſinu ieſu liquefactus conquieſcit. Jam vero humanitatē dilecti ptranſiens. in admirandam diuinitatis eius ſpeculationem mens totam ſe dirigit: in qua tam ſecretis. tam admirandis. tamq̃ penitus diuinis fulgoribus myſticis fruitur: ut extra ſe facta. non eſſe in corpore videatur. Quid hec mentis in amoris abyſſo conſtitute per contemplationis profundum operetur eleuatio: hi ſoli intelligunt: qui hoc donum de miſericordia domini ſuſceperunt.

❡ Septimo diuini amoris ſuauitas mortē facit cōtem nere: et ſupne felicitatis patriā cōtinuis ſuſpirijs deſide rare. Quid dico cōtemnere: et non potius optare? Forti tior eſt morte dilectio. Anima eñ que dulciſſimū ieſum veraciter diligit: venire ad eū p mortē quātocius concu piſcit: carcerem ſui corpuſculi. in quo detinetur captiua exire deſiderat: et ideo diſſolutionem eius nō formidat. Semp ad ſuū dilectū ſuſpirando ſe eleuat: exire de cor pore quantocius exoptat: in oracōnibus quotidie cum ppheta ad dñm plorat. Heu mihi qm̄ incolatus meus plongatus eſt: habitaui cū habitatoribus cedar: mul tū incola fuit aīa mea. O quādo veniā et apparebo ante faciem dñi mei? Quādo videbo eū facie ad faciem: cui⁹ in enygmate dulcedinē guſtaui totiens p amorē? Cum apoſtolo quoqȝ veraciter dicit. Cupio diſſolui et eſſe cū chriſto: qm̄ ipe cordis mei ſolus eſt deſideriū: qui mihi p ſanctiſſimi ſanguinis ſui effuſionē ſemetipm̄ pmiſit in premiū. Interea tranſit in mūdo verus dei amator. tāto feruore. tantoqȝ deſiderio eleuatus in deū: ut nihil peni tus ſit qđ eū libeat: nihil qđ pter ieſum cōcupiſcat. Cor de ſemp eleuatus in celū ieſum cogitat: pre amoris ma gnitudine dulciter plorat: quicqđ dulce quicqđ iocun dum in hoc mūdo cōſpicit: totū ſibi diuini amoris ſa por in nauſeam vertit. Enīuero tam validus eſt diuini amoris feruor: ut aīa quam ſuo dulciſſimo calore ſemel veraciter accenderit: nullis deſiderijs mūdanis amplius ſuccūbere poſſit. Mortē omniū terribiliū in nr̄a cogni tione terribiliſſimū. nō ſolū nō metuit: ſed etiā vehemen ter concupiſcit. Sed qđ fruſtra conor internū veri ama toris ieſu feruorē et deſiderium verbis exprimere: cū nec ipe qui amādo patitur ſuū affectū poſſit explicare? Tan tis eñ ſurſum actionibus. tantis deſiderioꝝ ardoribus. tantiſqȝ ſpūalis incendij flāmis. verus dei amator in oc culto ſue mentis vritur: ut niſi oīpotens deus exortū temperaret incendium: homo pre amoris magnitudine moreret. Inaudita et prorſus incredibilia ſunt iſta car

nalibus: qui varijs deſiderijs mũdani amoris obcecati.
ſpiritualia ꝑcipere nequeũt: ad diuinũ quoqȝ amorẽ ve-
raciter nõ aſſurgũt. Dicit em̃ ſanctus aplus. Animalis
homo nõ ꝑcipit ea que ſunt ſp̃us dei: ſtulticia em̃ eſt illi:
nec poteſt intelligere: quia ſp̃ualiter examinatur. Spiri-
tualis autem iudicat omnia: et ip̃e a nemine iudicatur.
Amor em̃ ieſu non datur carnalibus: q̃m qui vicijs et
cõcupiſcentijs carnalibus eſtuant: diuino ſe amori pror-
ſus indignos preſtant. Sed dimittamꝰ eos q̄ carnaliter
ſapiũt: et reuertamur ad illos. q̄ ſp̃ualiter in amore dei
viuũt. Amor dei facit hominẽ mortem cõtemnere: et ad
ſupne felicitatis gaudia magnis ⁊ cõtinuis ſuſpirijs an-
helare. Sanctos martyres ieſu chriſti ꝓducamus in me-
dium: et erũt huius ſententie firmamentũ. Tanta enim
vis diuini amoris. tantus feruor. tanta eleuatio mentis
in deũ eos accenderat: ut ꝓ amore ieſu nulla penarũ ge-
nera metuerent: nulla mortis ſupplicia timerẽt. In amo-
re ieſu abſorpti fuerãt: ꝓpterea de ſuoꝝ corporũ interitu
nõ curabãt. Amor em̃ ieſu om̃es paſſiones corporis in-
cõparabiliter ſua virtute exſuperat: quippe q̄ ſe ſubijcere
mille mortibus non recuſat. O q̃ immania tormenta. q̃
horrenda p̃cipicia. q̃ terribiles ignes. q̃ immaniſſimos
cruciatus ⁊ dolores. ſancti martyres in ſuis corporibus
pertulerũt ꝓpter amorẽ ieſu chriſti: que omnia etſi carni
infirme apparerent grauia: tamen ſpiritui p̃ amoris im-
menſi magnitudine leuia videbãtur. Nihil em̃ tã arduũ.
nihil tã durũ: qd amor dei nõ faciat eſſe iocundũ. Nam
qui ieſum ex toto corde ſup om̃ia diligit: nulla huiꝰ mũ-
di aduerſa. nulla mortis ſupplicia ꝑtimeſcit. Et qd ſancti
martyres olim deo ꝑ amorẽ morientes ſacro tradiderũt
officio: hoc veri amatores ieſu etiã nũc porrigũt deſide-
rio. Anima ſiquidẽ diuino amore ſuccenſa corporis ſui
carcerem egredi multis gemitibus ⁊ ſuſpirijs deſiderat:
venire ad eũ quẽ diligit intimis affectionibus feſtinat:
ſed quanto ꝑ dilationem diutius hic manendo affligit̃:
tanto per deſideriũ in amore amplius dilatatur. Sepe

etiam feruens amator ieſu. tantis deſiderijs ad ieſum eri
gitur: ut ſibi non poſſe amplius viuere videatur: latẽſqȝ
in occulto preces amatorias dilecto porrigit: pre amo-
ris magnitudine vocem cũ lachrymis emittit. O media
tor dei et hominũ amantiſſime ieſu. cur me in hoc car-
cere cõſtitutum nõ eruis: quare me tam diu in hac miſe
ria exulem dimittis? Meritum augere temporis dila-
tione non cupio: premiũ nõ expecto: tu mihi o dulciſſi-
me amator ſolus ad fruitionẽ ſufficis: q̇ ſpiritũ te aman
tem non contemnis. Tu mihi ſis premiũ: qui amoris
tui incendiũ mihi creature tue immerite tradidiſti. O bo
ne ieſu amor ſpem erigit: fiduciam impẽdit. Uerũtamen
ſanctiſſima volũtas tua in me ſemp̱ compleatur: quoniã
etſi venire ad te vehementer deſidero: manere tamen in
carne q̃ȝdiu tu volueris non recuſo. His quidẽ modis. et
multis ſecretioribus exercicijs amor ad celeſtia mentem
eleuat: p̱ que ſe nõ ocioſum. ſed multa in homĩe mirãda
operantẽ manifeſtat. ¶ Octauo diuinus amor hoſpi-
tis ſui animã. celeſtis patrie ciuibus adhuc in carne con
ſtitutam. notã et familiarẽ efficit: quoniã quiſquis a re-
ge diligitur: hunc tota curia veneratur. Rex autẽ noſter
celeſtis diligentẽ ſe diligit: queadmodũ in ſacro euange
lio dicit. Qui habet mãdata mea ⁊ ſeruat ea: ille eſt qui
diligit me. Qui autẽ diligit me. diligetur a patre meo: et
ego diligam eũ: et manifeſtabo ei meip̃m. Amator ergo
ieſu ab ip̃o diligitur: a ſanctis illis ſpiritibus qui ſunt in
patria honorat̃: et licet homo ſecundũ ſuũ intellectũ hãc
familiaritatẽ angelorum in carne non ſemp̱ poſſit intelli
gere: mens tamen ip̃a poteſt miranda inſenſibiliter ſen-
tire. O cũ quanta charitate ⁊ reuerentia ſup̱ omnẽ intel-
lectũ humanũ ſpiritus amatoris ieſu de carne ſolutus a
ſupernis ciuibus excipitur: quãtis laudibus homini pe
nitus ineffabilibus honoratur: quoniã ingrediente illo
quẽ imperator ſingulariter diligit: leta ciuium vniuerſi-
tas occurrit. Egredientẽ nãqȝ de carne ſpiritũ amantis
ieſum. ciues ſuperne felicitatis. veluti conciuem ſuũ no-

tum atq; chariſſimū leti ſuſcipiūt: quem adhuc in carne poſitū. totiens eleuatū p amorem ad ſe in celum cognouerūt. Amor enim dei viam anime ad conſpectū ſummi imperatoris expeditam preparat: ciues celeſtis patrie in occurſum migrantis vocat: appropiare non ſinit demonia: omīa tollit impedimenta. Spiritus hominis ieſum ſup omīa diligētis tot habet in celo familiares amicos: quot in amore dei habuerit conſortes. Ibi angelici ſpiritus in charitate dei altiſſima confirmati hoīs animā ieſum amantis ardentiſſime diligūt: conciuem ſuū familiarem recognoſcūt: manentem in carne cuſtodiūt: egredienti letiſſime occurrūt. Ibi patriarcharū ordo amatorē dei mirando fauore pſequitur: animā diuine maieſtatis aduenire amatricē ineſtimabili gaudio letaſ. Ibi ſancti futurorum preſcij vates animā leti ſuſcipiūt: que illum totis viribus amat quē ſaluatorem futurū ipi pdixerunt. Ibi chriſtū primi ex amore ſecuti ocurrūt apoſtoli: cum ineſtimabili gaudio ſuſcipientes ſpiritum amatoris dei. Ibi ſancti martyres candidis induti ſtolis adueniunt: animā diuino amore feruentem. ad pedes altiſſimi pducunt. Ibi ſanctiſſime aderunt virgines: deuoti aſtabunt confeſſores: conciuem ſuū pridem p amoris eleuationē notiſſimū. cum incredibili exultacōne ſuſcipient: coronandum immortali decore ad thronum glorie perducent.

Complures ſanctos in hac vita legimus angelorū habuiſſe conſortiū: ſepe illos morientibus veniſſe in occurſum: quoniā vbi amorem regis ſui ieſu chriſti dulci feruore habitare conſpiciūt: quaſi ad eius domicilium crebrius accedunt. Cor enim amantis ſe ieſus inhabitat: thronū ſibi in eo parat: omnes in circuitu malarū affectionum inſidias eliminat: pacem in ſuo regno et cōcordiam firmat. Sanctorum quoq; angelorum inuiſibilis non deeſt exercitus: quia dignum eſt ut ſuo imperatori frequens impendant ſeruicium: cuius ſuper ſe diligunt principatum. Anima ergo diuini amoris incendio flagrans. ſupernis illis ſpiritibus familiariter eſt cognita:

UPB

ſanctis omnibus ſingulariter amata: et in eorum conſortium ſine impedimento feliciter tranſitura.

¶ Nono diuinus amor ineſtimabilem inter deū et animam vnionis adheſionē efficit: dum ſpiritus amantis non per naturā ſed per gratiam in abyſſum diuine contemplationis reſoluitur: et a ſe deficiens in diuinitatis participiū mirabiliter tranſmutatur. Hec vnionis adheſio ſpiritū humanū nequaqꝫ adnihilat: nec eum ad aliā eſſentiam mutat: ſed manens quod eſt. ſupra ſe rapitur: et actu ſuo primo eſſenciali manēte. ſecundi exercicio priuatur. Ingrediens enim nouam diuine cōtemplationis caliginem. et ſe ⁊ omīa que creata ſunt. vel creari poſſunt longe poſt ſe deſerit: ſupra omnē imaginationem. rationem vel intelligentiam aſcendit: vbi cū ab omni actione entis creati vel creabilis defecerit: in ſolo deo ſe exercitans inſenſibiliter conquieſcit. Oportet namqꝫ mentem amantis deum ad hāc experimentalem cognitionē per affectum aſſurgere: et deſerta omni creatura. ad creatorem ponentem tenebras latibulum ſuum per caliginem intrare. Et primo quidem mens ipſa omnē operationē ſenſitiuam deſerit: deinde ſuper intellectum ignote affectualiter aſcendit: poſtea deficiens etiā a ſe. diuinā caliginem ingreditur: in qua ꝑ extaticum amorem quieſcēs ſoporatur. Deum autem videre facie ad faciem ſicuti eſt. nulli anime quantūlibet ſancte conceditur: q̃diu in carnis carcere continetur. Dicit enim ad moyſen deus. Nō videbit me homo et viuet. Et diſcipulus ille quē diligebat ieſus: in quadam epiſtola dicit. Deum nemo vidit vnquā. Sanctus quoqꝫ diuinoꝝ contemplator paulus ait. Deum nullus hominū vidit: ſed nec videre poteſt. Uera em̄ et immediata dei ꝑceptio amanti in hac vita ꝓmittit᷑: in futura exhibet᷑. Amor autē verus. mentē in diuinā illā caliginē erigens eam non penitus ſatiat: nec dei viſionem manifeſtat: ſed eam ꝑ internā ſuauitatē diuine dulcedinis ineffabiliter recreat: et guſtū ſuꝑne felicis

tatis viatori perceptibilem modis ſecretiſſimis inſpirat.
¶ Decimo amor dei habentē ſe veraciter animā in ce
leſti patria incōparabili dono remunerat: et ꝓrogatiuis
inſignibus honorat. Quiſquis enim dn̄m ieſum ex toto
corde ſup omnia in hac vita pſeueranter diligit: quiſquis
ſancti amoris exercicia in feruore ſpiritus cuſtodit: dece
dens a corpore ſpūs occurrentibus ſanctis angelis. in
ſinū amantiſſimi ieſu mox ducitur: et immortali gloria
honoratur. Amor nāqꝫ om̄es virtutes in fide exuperat:
quia nullū opus bonū habebit meritū: niſi in amore dei
fuerit radicatū. Anima quāto in dei amore fuerit arden
tior: tanto erit in gloria maior. Reuera oculus nō vidit.
nec auris audiuit. nec in cor hoīs aſcendit: quantā ſuis
amatoribꝫ dulcedinē interne ſuauitatis dn̄s ieſus in hac
vita preguſtandā cōferat: quantāqꝫ ineſtimabilem illis
eterne felicitatis gloriā reponat. Cogimur de inuiſibili
bus loquentes imitari pictores: nec poſſumus ſupne fe
licitatis conditionē ⁊ ſtatū vtcūqꝫ balbucientes exprime
re: niſi p verba et ſimilitudines nobis ſenſibiliter notas.
que ſpūalibus rebus vel gaudijs nullatenꝰ poſſunt com
parari. Fingūt em̄ illi deū ⁊ angelos corporali ſchemate
cōpoſitos: loquimur nos de exiſtentibus ſupra ſenſum
humanūqꝫ intellectū ſermones ſenſui nr̄o congruentes:
cū tamen deus ⁊ angeli corpus nō habeant: nec ſpūalia
ſimilitudines corporaliū aut ſenſibiliū admittant. Enī
uero illa celeſtis patrie quāta ⁊ qualia ſint gaudia: nec
humana ratio poteſt capere: nec vllus ſermo explicare.
Uerus internus dei amator. qui diuini amoris exercicio
prudenter inſiſtit: multa et ſuauiſſima dulcedinis ſupne
ꝑguſtando ꝑcipit: et quāuis ad ſacietatem ſumme veri
tatis in hac vita nō poſſit ꝑtingere: magna tamen et ce
teris non ſic amantibus abſcondita ꝑmittitur guſtare.
O qꝫ lete qꝫ iocunde quamqꝫ feliciter anima dn̄m ieſum
feruenter amātis de corpore egreditur: qꝫglorioſe in ce
lo ſublimatur: qꝫ ineffabili gaudio ſine fine ꝑfunditur.
Egredientē mox dn̄s ipe ieſus amatorijs brachijs ſuſci

pit: in eius amplexus dulciter ſe totum effundit: perpe
tua charitate ſe amantē complectitur: in ea quaſi in do
mo propria in eternum cōmoratur. O quantus iubilus.
quanta exultatio. quanta leticia. anime ieſum amantis
infunditur: vbi ad ſuū principiū munda et puriſſima ꝑ
ipm reuocatur. Ibi deſideriū amoris ineſtimabili beati
tudine pficitur: ibi ſpūs ineffabili dulcedine ſatiatur: ibi
quod ſemꝑ concupiuit mens accipit: ibi amatrix dei ani
ma in ſinu dilecti ſine fine conquieſcit. O ꝙ incompara
bili gaudio mens ſancta replebitur: vbi ſupnis ſpiritibꝫ
leta cōiungetur: vbi diem feſtū ſine fine peraget: vbi in
thalamo dulciſſimi ieſu in eternum requieſcet. Ibi nulla
erit triſticia: ibi nulla miſeria: qm̄ vbi ad deū omniū eſt
vera dilectio: ibi ſumma erit in oībus beatitudo. Ibi
eſt vera ſecuritas: ibi ſempiterna felicitas: ibi ſūma men
tis tranquillitas: ibi in eternum ꝑmanſura iocunditas.
O vere felix et intimis ſuſpirijs ſemꝑ optanda ſacietas:
o ſanctū et nunꝙ tradendū obliuioni conuiuiū: vbi nec
ſacietas ipa parit faſtidiū: nec deſideriū fruſtrabit appe
titum. Hec celeſtis patrie ſempiterna felicitas: hec ſupr
ne felicitatis immenſa iocūditas: nobis o patres ꝑ dn̄m
noſtrū ieſum chriſtū ꝓmittitur: nobis cū oībꝫ ſanctis
donāda reſeruatur. Feſtinemus ergo chariſſimi fratres.
feſtinemus ad illam ineffabilem gloriā. ꝑ interni amoris
feruorem aſcendere: in qua cum dulciſſimo redemptore
noſtro in eternū felices poſſimus ꝑmanere. Quid nobis
et curis ſeculi? Quid nobis et gaudijs mūdi? Omnia
p̄ter amorem ieſu tranſeūt: oīa p̄ter charitatē dei eua
neſcūt. Nihil in hoc mundo diuturnū cernitur: nihil in
actibus humanis ſtabile videtur. Abijciamꝰ ergo a no
bis omnē ſollicitudinē ſeculi: fugiamus inquinamenta
mundi: nulla nos rerū mundialiū cupiditas teneat: nul
la nos carnis concupiſcentia ſeducat. Cogitemus ſemꝑ
o patres. qm̄ anchoram ꝓpoſiti noſtri in eminentiorem
regionē locauimus: qui contemplatiue vite ſingulariter

addicti ſumus. Contemptis itaqꝫ omnibus negocijs mū
di: ſtudeamus diuini amoris exercicijs feruenter inſiſte
re: crucifixum amorem noſtrū ieſum omni tempore co-
gitare: ut dum illum ſuper omnia viuentes in carne dili
gimus: poſt mortem in ſua maieſtate illum ſine fine leti
videamus. ¶ Dixi.

¶ Finis oracōnis dn̄i joannis tritemij Abbatis
ſpanhemenſis: habite erphordie. vj. kl. ſeptem-
bris. Anno dn̄i. M. cccc. xcvij.